



Nf. 59.5.



DISSERTATIO INAUGVRALIS  
DE  
FRAGMENTO CODICIS BIBLICAE  
HEBRAICAE MANVS CRIPTE

---

QVAM  
EX AVCTORITATE  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
PRAESIDE  
VIRO MAGNIFICO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
D O M I N O  
GEORGIO ANDREA WILLIO  
COMITE PALATINO CAESAREO  
POESEOS HISTOR. ET POLIT. PROF. P. O.  
PATRONO STVDIORVMQVE PROMOTORE  
SVBMISSE COLENDO

PRO  
HONORIBVS MAGISTRI PHILOSOPHIAE  
RITE AC LEGITIME IMPETRANDIS  
D. XXVI. IVNII. A. S. R. MDCCLXXXII.  
CONTRA SECVS SENTIENTES DEFENDERE  
CONABITVR

A V C T O R  
IOANNES FRIDERICVS CONRADVS  
CHRISTOPHORVS IACOBI  
NORIMBERGENSIS  
SOC. LAT. ALTORF. QVAESTOR.

---

ALTORFII

TYPIS MEYERIANIS.



VIRIS

SVMME VENERABILI ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
IOANNI CONRADO SPOERL

ANTISTITI AD D. SEBALDI ET TOTIVS REV. MINISTERII  
NORIMBERGENSIS GRAVISSIMO P. R. N. BIBLIO-  
THECARIO SPECTATISSIMO

PRAENOBILISSIMO ATQVE CONSVLTISSIMO  
DOMINO  
IOANNI BAVRENFEIND

PERILL. SENATVS NORIMBERGENSIS SECRETARIO ET  
CIVITATIS SYNDICO AMPLISSIMO

PLVRIMVM REVERENDO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO  
ADAMO STELLWAG

DISPOSITORI AD D. LAVRENTII MERITISSIMO  
HONORATISSIMO ARTISQVE PERITISSIMO  
VIRO

IOANNI GVOLFGANGO  
DOERRBAVM

SVBSIDII LITTERARII FENIZERIANI  
EXECVTORIBVS BENIGNISSIMIS  
FIDISSIMIS

PATRONISATQVE FAVTORIBVS

AD CINERES VSQVE SVMMO PIETATIS  
CVLTV PROSEQVENDIS

VT  
PRO TANTIS IN SE COLLATIS BENEFICIIS  
ANIMI ADFFECTVM TESTETVR. GRATISSIMVM

VT QVID

E O R V M

SVSTENTATVS AVXILIO PROFECERIT  
QUALICVNQVE SPECIMINE. EXPONAT

VT TANDEM

I S T O R V M

GRATIAE BENEVOLENTIAE FAVORI  
ETIAM IN POSTERVM SE COMMENDET.

HANC

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

SVBMISSA MENTE


D. D. D.

A V C T O R.



DISSERTATIO INAUGVRALIS  
DE  
FRAGMENTO CODICIS BIBLICI  
HEBRAICI MANVSRIPTI

§. I.

 **D**u satis impeditum fuit augmentum Criticae S. Veteris Testamenti, non, quod occasio defuerit, meliora uidendi, sed quod abripi se passi fuerint, qui circa eam uersabantur, per sententias, aetati suae uulgares, ad quas pertinaciter retinendas status Theologiae haud parum conferebat. Saeculo enim XVII. polemico, cum inter Theologos Protestantes Romanosque acris pugnaretur pugna de praestantia textus Hebraici, cum posteriores ad infringendam illam allegarent uarietatem illius, in alterum Protestantes inciderunt extremum, ut omnes negarent uarias lectiones, textum Masoreticum ad coelum usque extollerent, illumque, quasi cum omnibus apicibus a Mose caeterisque sacris Scriptoribus ad nos deuenisset factus tectusque, sunt deuenerati, deferentes non bene LVTHERI

A 3

fen-

sententiam, quem acutissima perspicacia sensusque pulcri subtilissimus dudum in Masoretarum lectiones saepe absurdas a) inuehi iusserat. At uero, cum uitare uellent Charybdis, in Scyllam inciderunt. Parum enim consultum esset Authenticae librorum V. T. sacrorum, nisi Codices uariarent; quomodo enim euitaremus tela eorum, qui istos a Iudaeis subornatos calumniantur et corruptos, nisi tot exempla, tot uersiones, quae in minoribus tantum differunt, in eo tamen, quod caput est, adeo egregie consentirent?

- a) Sunt tales e. g. 2 Reg. VIII. 26. coll. 2 Chron. XXII. 2. quam posteriorem admitti non posse, facile demonstrat Cap. antec. V. ult. Cum enim Ioram XL. natus annos moreretur, quomodo filius eius natu minimus regnum nancisci poterat aetate XLII annorum? Quae difficultas, in qua mirum in modum se torserunt Viri Doctissimi, facile tollitur, si sequamur consensum omnium Versi. Veterum, excepta Latina, quae 22. legunt et in Chronicis; et quamuis in LXX. exemplis pluribus *καὶ δὲ* sit omissum, extat tamen *ἕως*. Porro Ierem. XXVII. 1. legunt Masoretae *Ioiakim*, cum clare pateat e uersu 12. Cap. eiusd. et u. 1. Cap. XXVIII. haec facta esse sub *Zedekia*; quod posterius nomen legit etiam Codex Regiom. Reg. accedentibus VV. Syr. et Arab. MS. Oxon. ex qua posteriori uero simillimum, extitisse id ipsum olim in LXX. ubi iam Hieronymi tempore totus uersus deficiebat.

## §. II.

Melius fatum expertura uidebatur statim ab initio huius saeculi Crisis biblica Codicis Hebraici, quod pollicebatur Vir maximorum meritorum b. I. H. MICHAELIS, qui conferre incipiebat fere primus Codices MSS. et quidem Erfurtenfes; at maiora tamen eum praestitutum fuisse, credi potest, nisi, inhaerens firmiter sententiae de antiquitate et Θεοπνευσία punctorum uocalium atque accentuum, hisce solis restituendis operam facerret, et reliqua fere intacta liquisset. Ut uero textus V. T. idem acciperet beneficium, quod N. T. acceptum fert

MIL-



MILLIO, seruatam fuerat V. Cl. KENNICOTO, qui quidem, cum antea tenacissimus fuisset textus Masoretici, motus tandem difficultatibus summis, contra eum militantibus, ad castra aduersaria transit; in quo quidem munificentia genti suae propria non minus adiuuabatur, quam ingenio egregio et assiduitate incomparabili, aliorumque Virorum Doctissimorum ope large succurrente b).

b) Proferrem talia scripta, nisi breuitatis studium id uetaret; nec illud necessarium iudico: quis enim praeclaros non nouit labores Nagelii, Lienthalii, Telleri, Vogelii, qui omnes de promouendo opere Kennicotiano multum meruerunt?

§. III.

Cum tamen non cuius data sit occasio, non cuius suppetat tempus, excutiendi Codices totorum librorum, uel totius Codicis sacri; cum deinde et ex minoribus particulis saepe non parum utilitatis elici possit, monuit *Idem* in diss. II. super rat. textus hebr. V. T. edit. TELLER. p. 570. sq. *ut quoduis pretiosum fragmentum colligatur, magna cum cura examinetur, illiusque VV. LL. accurate publicentur.* Repetiit idem monitum Vir S. V. SEMLERVS, c) cuius in Criticam S. merita haud sunt minora, quam ista, quibus abundat in omnes fere Theologiae partes; addiditque istud peculiare, ut diligenter attendatur ad uetusta librorum inuolucra: effecit enim barbaries mediorum saeculorum, ut ista pretiosiora sint saepe iis, quibus inseruiunt tegumento; quam exhortationem firmiorem reddidit per exemplum additum. Nec defuerunt, qui uestigia Illius premerent d) felicissime.

c) In *Admonitione de obseruandis hebr. MSS. membranis, quae tegendis aliis libris seruiunt.* Halae Magd. 1764.

d) Fuerunt inter hos amicus meus desideratissimus, quem nimis mature hic annus eripuit Parentibus, patriae, orbi erudito, *Max. Nagelius*, in  
epi-

epistola gratulat, 1770. publicata; et recentissime Vir S. V. *Sixt*, Prof. Theol. P. O. in Progr. inaugurali,

§. IIII.

Quapropter nec me istam incursum esse uituperationem puto, quod futilia nimis, nec usum quendam praebentia tractauerim, qui statui, cum pro summis in Philosophia honoribus publice disceptandum sit mihi, describere fragmentum quoddam Codicis S. e) eiusque excerpere uarias lectiones, ita quidem, ut de potissimis addam, quid sentiam; quam, ex consensu Versionum internisue argumentis retinendam, quam abiiciendam, existimem, praemissis etiam, quae quibusdam minutiae uideri poterunt, attamen in regulis quibusdam Grammaticis firmandis atque in diiudicatione Manuscriptorum Hebraicorum haud nullius sunt utilitatis.

e) Debeo illud beneuolentiae Viri P. R. *M. Panzeri*, Senioris ad D. Sebaldi, quem quidem, ob summa in me beneficia, nunquam non summa pietate uenerabor.

§. V.

Continet uero in membrana duarum paginarum, formae quam *folio* uocant, particulam Iobi a uoce *הודיעני* u. 23. Cap. XIII. usque ad uocem *תמלא* u. 32. Cap. XV. capiente pagina priore lineas XXVII. posteriore XXVIII. cuius quidem differentiae haec est causa, quod in pagina priori initium sermonis Eliphasi Cap. XV. I. sit scriptum litteris tam magnis, ut duarum linearum spatium occupent. In margine atque infra scriptus uidetur Commentarius Rabbinicus, qui uero cuius sit, nescio; nec facile legi potest, cum a bibliopega temporisque iniuria multa passus fuerit.

§. VI.

§. VI.

Omnia habet aetatis peruetustae signa f). Membrana est uitulina, flaua, cretaeque uestigia in ista non apparent. Litterarum figura nitida, absque tamen ornamentis ingenii ludentis, plane simplex, quadrata, Hispana. In paucissimis locis nigrum colorem amiserunt, nullibi legi nequeunt. Masora, quod maximum est uetustatis signum, plane abest. Punctorum uocalium color palliditate differt a litterarum colore, quare probabile mihi uidetur, punctatorem a scriba distinctum fuisse g), atque eundem cum illo, qui quaedam emendauit litteris minusculis, de quo infra. Caput XIV. incipit in lineae medio, sine ulla differentia, ne quidem uocis primae; quamuis Cap. XV. initium, uti ante monui, maioribus scriptum sit litteris, quia orditur sermonem Eliphasi. Aliud antiquitatis signum luculentum illud est, quod *αὐτὸς*, tanquam liber poeticus, scriptus sit Iobus, ita quidem, ut (utar uero SEMLERI uerbis) Hexametris mixtos referat Pentametros; in Hexametro cuiusuis uero medio spatium relictum est aliquot litterarum, quod per totam paginam sibi responderet, tam accurate seruatum, ut diremtae sint illius gratia litterae unius uocis. Mox Keri, mox Chthib, prius tamen saepius in textu est, nullo plane indicio facto, uel super uoce, uel in margine. Saepissime tandem consentit cum Vett. Interpp.

f) Accuratissime ea recensuit V. Cel. *Lilienthal*, in Commentat. critica de duobus Codd. MSS. Bibl. Hebr. Regiom. 1770. 8. p. 91. sqq. unde excerpta leguntur quoque in *Eruesti* bibl. theol. nouiss. Vol. I. Part. II. p. 104.

g) Plura huius meae opinionis argumenta deinde adducam, quum de fulcris et Raphe sermo mihi erit.

§. VII.

Iam pauca de litteris. 1.) Finales quidem praeter  $\eta$  ordinariam seruant figuram, ut nempe infra lineam descendant, quam

B

quamvis parum. 2.) Dilatabiles, praeter litteras אהלמת, aliae quoque sunt, praesertim ultimae uel penultimae linearum e. g. ך, ך, ך, ך. 3.) *Schin* et *Sin* fere ex regula seruant punctum suum; etiam concurrentes cum *Cholem* antecedente uel consequente illud retinent. 4.) Si in fine uersus uocabulum totum locum amplius inuenire nequit, uariis id indicandi Codex utitur modis. Vel enim quaedam uocis sequentis litterae exprimuntur, eaeque mox totae, mox dimidia (quod fit in ם), addita uirgula, uel eadem apposito hoc signo ך; uel tandem hoc signum spatium uacuum replet, non addita prima sequentis lineae littera.

### §. VIII.

Transeo ad Vocales. 1.) + et : ך finalis non uentri illius insunt, sed infra subiiciuntur. 2.) De *Cholem* cum ם concurrente iam dictum est. 3.) Matres lectionum mox adfunt, ubi in ΗΟΟΘΗΤΗΙΟ deficiunt, mox v. v. prius tamen fit saepius; inter quas memoratu dignissima est mihi scriptio מילין et מילים pro מלין et מלים Cap. XV. 3. 13. ideo quoque, quod confirmare uidetur sententiam meam, puncta a scriptore Codicis ipso haud addita fuisse, quodsi enim id fecisset, haec indicatio, quod ך duplex sit legendum, haud fuisset necessaria. Accentus simplicioris multo figurae sunt, quam in impressis.

### §. IX.

Vt de diacriticis, quae uocant, punctis pauca quoque moneam; *Makkeph* saepissime omittitur, ubi extat in impressis; saepe additur, ubi abest in hisce. *Raphe* in hac membrana saepissime occurrit, et quidem cum duae litterae contiguae id poscunt, in medio istarum col-

collocatur. Superponitur et litteris aliis, praeter *Begaacephath*, communissime litterae Iod, tunc quidem, quando dubium esse poterat, an cum Dagesch efferri debeat, an non; e. g. Cap. XIV. u. 7. וינקתו, ne scilicet pronunciaretur, *Vaionakto*, sed *Veionakto*; sic Cap. eod. u. 11. מים et רבש u. 12. ויצערן etc. Quod simul corroborare uidetur, Cod. puncta recentiora esse litteris. Additum uero est *Raphe* aliis quoque consonantibus; e. g. ך in אלוף Cap. XV. 1. ubi quid indicet, nescio, nisi accedam coniecturae Patroni ob maximorum beneficiorum in me congestorum cumulum submisisse colendi, *Magnifici Academiae Rectoris*, V. Cel. NA-GELII, qui quidem *Raphe* pro reliquiis habet pronuntiationis delicatissimae Tiberiensium <sup>h)</sup>.

h) Cuius diss. binae, altera de III. Codd. MSS. Hebr. 1749. altera de duobus Codd. MSS. V. T. 1769. ad tres §§. praec. sunt conferendae, ut et *Lilienthal*. l. c. pag. 25. sqq. 62. sqq.

### §. X.

Hisce iam missis, progredior ad recensionem Variarum Lectionum; in qua quidem instituenda usus fui editione HOOGHTHU, cuius a lectione quae recedunt in membrana, sigillatim enumerabo, paucis ea quae minoris sunt momenti, uberius differens de lectionibus potioribus.

### §. XI.

#### Cap. XIII.

V. 23. pro הורעני scriptum est הריעני V. 24. legit ותהשביני interto Iod. V. 25. תררוף cum fulcro. V. 26. מרורות cum duobus Vau. V. 27. habet אורחתי Cholemposito pro Kamezchatuph.

B 2

§. XII.

§. XII.

Cap. XIV.

V. 1. רוגו c. fulcro. V. 2. עמר s. Vau. V. 3. עיניך  
in textu, recte cum ΗΟΟΓΗΙΟ. Assentiuntur e Verff.  
antiquis Syr. Arab. Vulg. i) Graeca quidem quid legerit,  
haud apparet; liberius enim uertit: *οὐχὶ καὶ τοῦτου λόγον  
ἐποίησω*; V. 5. הקיו est in textu, refragantibus LXX. Syr.  
Arab. assentiente Vulg. et Chald. Lectionem plural. melio-  
rem puto, quia et duo antecedentia uocabula מיו et דרשו  
eodem posita sunt numero. V. 6. fuit a scriptore primo  
מעלי וחדל, at pallidiori atramento i uocis prioris prolon-  
gatum est in ך, atque superne minutiore caractere imposi-  
tum inter ך et ל aliud ך, quod et factum post ך in וחדל.  
Nescio an in hoc מעלי antiquo non detegatur uestigium  
notae illius Chrysostomi, quam inuenio in Varr. LL. additis  
edit. τῶν ὁ. Lips. 1697. 8. *Τινὰ δὲ τῶν ἀντιγράφων ἔχου-  
σιν, ἀπόσα ΑΠ' ΕΜΟΥ, ἵνα ἡσυχάσω, καὶ εὐδοκήσω τὸν  
βίον μου, ὥσπερ μισθωτὸς.* V. 9. בריח c. fulcro.

i) S. V. *Lilienthal*, p. 161, allegat inter hos etiam Targum. At uidetur  
seductus fuisse, quod alias haud facile commisit, a uers. Lat. Paraphra-  
sis Chaldaicae. Textus enim ipse habet עיניך non עיניך.

§. XIII.

Cap. XIV. Continuatio.

V. 12. pro יעורו יעורו est יעורו euigilabunt. Fa-  
ueret huic lectioni quidem Vulg. Syr. Arab. Nec abhorreret  
praecedens uerbum יקיצו; attamen cum usitata lectio non  
minus probum efficiat sensum, et a Graeca et Chald. Verff. ap-  
pro-

proberur, retinendam esse puto. V. 13. Cod. legit תצפניני.  
V. 14. בא f. fulcro. V. 15. ירך f. fulcro. Solus Chaldaeus ex Vett. Interpp. adsentitur lectioni, quae praeferri consuetae haud meretur. V. 16. תשמר, הספר f. fulcro utrumque. V. eod. Pro על ab origine scriptum erat כל, sed a recentiori manu correctum. Nulla Vett. Verff. adsentitur isti pristinae lectioni, nisi forte de LXX. dicere uelis, quae ita: και ου μη παρελθῃ σε ουδεν των αγαθων μου. V. 17. pro התם scribitur התום. V. 18. ממקומו plene, sed sine Dagesch in Mem. V. 20. התקמיהו.

§. XIV.

Caput XV.

V. 1. ומילים, u. supra §. 8. V. 6. ולא, fed ן minorī caractere recens additum, recte, istud etenim habent omnes Vett. Interpp. V. 7. הראשון sine Iod, ut Keri. Sic et Cod. Regiom. I. Nec aliter praecipit Orthographia huius uocabuli in aliis S. Cod. locis usurpata. ibid. pro תולר fuerat olim יולר, correctum tamen ab alio. V. 8. הבסור ב, f. Dagesch, Raphato; quo quidem is, qui sine punctis scripserat, indicare uoluit, ה esse interrogatiuum, non demonstratiuum, quod ista firmat, quae §. IX. scripsi. Ibid. אלוה est sine Mappik. V. 13. מילין, ל non dageschato a punctatore, quod tamen in מילים u. i. fecerat. V. 14. וכי Vau olim omissum recens calamus addidit, recte e consensu Verff. antiquarum. V. 15. בקרושיו, bene Keri habet in textu. Sic et Cod. Regiom. I. Assentiuntur omnes uetustae uersiones; approbat contextus.

## §. XV.

## Cap. XV. Continuatio.

- V. 17. חוּתִי, Iod posterius additum figura minori.  
 V. 18. מֵאֲבוֹתָם, at Vau iugulato. V. 21. פְּחָרִים, littera ו iterum superimposita est minuta forma. V. 22. Keri וּצְפִי est in textu; pariter in Regiom. Cod. I. Diuisa sunt Veterum translationum testimonia; Graecae quidem, τῶν ὀ et Symmachi, ut et Chald. Keri adprobant; at Vulg. et Syr. pro Chthib dimicant, cum qua posteriore consentit Arabs<sup>k</sup>).  
 V. 23. נֹרֶר c. fulcro. V. 24. יִבְעֵתוֹהוּ, pro יִבְעֵתוֹהוּ;  
 V. 26. מִגִּנְיֹו, Iod priori tamen obelato. V. 28. וַיִּשְׁכַּן sine fulcro. V. 29. יִעֲשֶׂר, Schua compos. pro simplici alternante. V. 31. אֵל scriptum erat olim לָא sed correctum a manu recentiori. Ibid. יֵאֱמֹן, sed Iod expunxit Corrector. V. eod. בִּשׁוֹ sine א, uti Keri suadet; sic et Regiom. II. Lectio completa tamen praeferranda est, quia alias semper occurrit in Cod. S.

k) Iterum quidem Cl. *Lilienthal*, p. 262. asseuerat, Syrum uertere: *exploratus exim est.* Ea saltem uersio Syriaca, quae est in Polyglottis, habet: חוּתִי לְחַרְבָּא, uidens gladium.

## §. XVI.

Finita hac fragmenti descriptione, iam adiungam, coronidis loco, duas coniecturas; alteram quidem in locum textus Hebraici; alteram uero in locum corruptum (ut mihi uidetur) LXX. Interpretum. Atque prior equidem concernit locum Ierem. I. 14. ubi pro תִּפְתַּח legendum esse existimo תִּפְוֶה, *excandescet, ebulliet.* Monuit me primum de mutanda littera uersio Graeca, quae uertit ἐκκαυθήσεται τὰ κλάα etc. cui adsentitur Arabica



bica. Deinde euitari sic commode, putauī, haud uſitatam τού **פתח** cum רעה significationem. Tandem hoc modo in hoc quoque uerſu elegans alluſio ſeruatur uerbi, ad nomen rei iſtius accommodata, quam in uiſione Deus monſtrauerat Prophetæ. Quemadmodum enim antea u. 12. per iſtud **כי שקד אני מקל שקד** alludebatur ad uiſionem τού **שקד** in u. præc. ſic etiam hic תפוח egregie reſpondet uiſo antea סיר תפוח.

§. XVII.

Altera coniectura ſpectat locum τών LXX. qui in Pſalmo XXII. 3. hebraica **ולא דומיה לי** uertunt: *καὶ οὐκ εἰς ἀνοίαν ἐμοί, neque ad inſipientiam mihi.* Iam Rich. SIMONIVS augurari non potuit, quid demum ſibi uoluerint; ualde coacte hanc uerſionem interpretans in eo Critices ſuæ Capite, ubi quaedam loca uerſionis iſtius diiudicat. Scimus uero, quantum ſit corrupta ea translatio; quapropter olim aliter eos legiſſe, dudum mihi ſuborta eſt ſuſpicio; et quidem ita: *καὶ οὐκ ΕΙΣΑΚΟΥΩΝ ΕΜΟΥ, neque exaudis me,* quam quidem interpretationem uocis **דומיה**, quod alias *leuamen* denotat inter alia, paulo liberioſorem, nemo mirabitur, qui eorum genus uertendi magis ſenſum, quam ſingulas uoces, nouit.

F I N I S.



ΕΠΙ-

ΕΠΙΦΩΝΗΣΙΣ  
P R A E S I D I S

AD

CLARISS. CANDIDATVM  
AVCTOREM HVIVS DISSERTATIONIS  
DOCTISSIMVM.

*Praeter naturalem animi in omnibus rebus pulchre et subtiliter  
perspiciendis uigorem, bona quoque indoles uirtutis in te fulget,  
ΚΛΑΡΙΣΣΗΜΕ ΚΑΝΔΙΔΑΤΕ. Hinc de meliore nota bono cuiuslibet  
te commendasti, et dignus non tantum habitus es, qui ad supre-  
mum, quem dat Sophia honorem, aspirares, sed ad capessendum  
eum a Patronis et Amicis excitareris, pariter ac in hoc negotio  
iuuareris feliciter. Vides ergo, eo impendi labores tuos atque  
pericula, unde emolumentum et bonos speratur. Ego uero te  
τρασaque Musam mirifice diligens, uirtuti ac laudi τρας gratans  
acclamo, Deumque precor, ut τρας det propria, quaecunque  
exoptes, bona, et per te Reipublicae literariae commoda et au-  
gmenta. Nunc age, et quam docte conscripsisti dissertationem in-  
auguralem, mascule defende. Praesidio et auxilio meo uix egēs;  
habebis me comitem et testem artis τρας bene certandi, dudum  
mibi comprobatae, amicissimum. Vale.*



Tc 335

Vd18

ULB Halle 3  
003 928 160




sb.

Vd17

VI







DISSERTATIO INAUGVRALIS  
DE  
FRAGMENTO CODICIS BIBLICIS  
HEBRAICIS MANVS CRIPTI

QVAM  
EX AVCTORITATE  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
PRAESIDE  
VIRO MAGNIFICO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
GEORGIO ANDREA WILLIO

COMITE PALATINO CAESAREO  
POESES HISTOR. ET POLIT. PROF. P. O.  
PATRONO STVDIORVMQVE PROMOTORE  
SVBMISSE COLENDO  
PRO  
HONORIBVS MAGISTRI PHILOSOPHIAE

RITE AC LEGITIME IMPETRANDIS  
D. xxvi. IVNII. A. S. R. MDCCCLXXII.  
CONTRA SECVS SENTIENTES DEFENDERE  
CONABITVR

AVCTOR  
IOANNES FRIDERICVS CONRADVS  
CHRISTOPHORVS IACOBI

NORIMBERGENSIS  
SOC. LAT. ALTORF. QVAESTOR.

ALTORFII

typis MEYERIANIS.